

6

AB
51 $\frac{9}{2,16}$



ou

n

D. g. 54

X 410
~~W. 3. 259.~~



CARMEN GRATULATORIVM.

IN NVPTIIS

ILLVSTRISSIMI

PRINCIPIS, AC DOMI-

NI D. ERNESTI LVDOVICI, DV-

cis Stetini, Pomeraniae, Casubiorum & Hene-

torum, Principis Rugiae, Comitis Caycorum.

& Illustrissimae Virginis. D.

Sophiae Hedwigis:

Illustrissimi Principis, ac Domini D. Julij

Ducis Brunswig: & Lunæ-

burg: filiae.

SCRIPTVM A IOHANNE SEC-

cernitio professore Gryphiswaldensi.



ROSTOCHII.

TYPIS AVGVSTINI

FERRERI.

Anno M. D. LXXVII

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly obscured by the texture and color of the paper.





Continuant superi fausto Pomnana tenore
Gaudia, purpureoq; redit formosior igni
Sublimiq; novos thalamos Hymenæus in
aula

Lustrat ouans, calidis redimitus tempora fertis.
Pergite Pierides, patrias lux festa per oras
Nunc quoq; vestra petit solenni munera cantu:
Vt nuper celsa Fridericus in arce Sidinûm
Connubij sanctos cum lætus obiret honores.
Ille quidem felix, insigni Marchide Nympha,
Iam curas fouet, ac blandum solatur amorem,
Tot casus inter patriæ, magnumq; regendi
Officium forti dum pectore prouidus implet.
Ordine vota meant, nunc & tu Pane secundis
Auspicijs dulces plausus, & gaudia voluis.
Lætitiâq; fremit Volgasti nobilis aula,
Nobilis, & veterum sedes antiqua Parentum.
Sic Erneste tuo decus hoc Ludouice fauori
Candida fata parant, & te quoq; Numine dextro
Nunc thalami sacro poscunt noua vincula nexu.

Quis plausus, quis vota tibi, quæ carmina Musæ
Ferre negent, patriæ Dux ô clarissime gentis?
O & præsidium, decus & venerabile Musis:
Interea, Gryphum tectæ nemoralibus umbris,
Quæ tua cura sedent, & dulci littora cantu,
Littoraq; & syluas, & tesqua virentia complent:

A 2

Dum

Dum tu laude viges, meritisq; insignibus ornas
Florentem patriam, & populo das iura volenti
Et tibi primitias igitur, sacrumq; tenorem
Carminis inprimis molli deducere pleetro
Et faciles gaudent equidem, & debere fatentur.
Tu modò quo sacrum Musis nemus auspice gaudet,
Musarum cape dona libens, & carminis orsus
Sponse novos (si ritè tuos celebramus honores,
Si pura tibi mente preces, thalamoq; iugali
Prospera concipimus gratantibus omina votis)
Iamdudum Princeps amplectere fronte serena,
Ingeniumq; tuo vatis moderante favore
Da faciles auras, da nostræ vela Camœnæ.

Vnde tamen nostri sument primordia versus?
An genus, & proavos, totamq; ab origine stirpem
Expediam, veteres euoluens carmine fastos?
An me sponse tuæ magis ad præsentia laudes
Conspicua virtute trahunt? dum viuudus heros
Ante oculos, interq; manus geris omnia nostras,
Quæ lex iustitiæ, pietas aut sancta requirit,
Et quæ prudenti, quæ forti Principe digna,
Iamq; in flore tuæ senibus miranda iuuentæ.
Quò me cunq; feram, magnum mihi panditur æquor,
Nostraq; cymba labat tanto sub pondere laudum.

Nam tua Gryphiadum prisco de sanguine gentis
Stirps præclara, potens atavis, fecunda nepotum,
Innumeram

Innumeram seriem fortissima pectora bello,
Iustitiaq; viros insignes ordine longo
Extulit, & seclis non interrupta malignis
Fata inter dubia, & Martis stetit horrida bella:
Dum plus mille redit cursu reuolutus in orbes
Phæbus, & humanos miseratur ab axe labores
Ætherio, rerumq; vices, tristesq; ruinas
Quæ passim gentes, & regna ingentia vertunt.
Non hanc Gothorum vires fregere superbae,
Non Heruli, Daniq; graues, non Sarmata bello
Impiger, & duris acer Lombardus in armis.
Totq; inter motus populorum, totq; furores,
Dumq; alij temerè irrumpunt, alijq; recedunt
Arua peregrinum quærentes Marte per orbem,
Hæc stabilem fati rerum sortita tenorem
Vna domus populos ad Balthica littora rexit,
Insignes populos vel Marte, vel vberè pacis.
Celsa velut medio quæ prominet æquore rupes,
Nequicquam tumidis lateri incurfantibus vndis,
Surrigit immoto superas se vertice ad auras,
Ventorumq; minas, pelagi contemnit & æstus.

Credo equidem, tantum potuit non ardua virtus
Sola virum, nec Marte suo, nec robore freti
Seruauere Duces longæuæ stemmata gentis.
Æquior his adeò terris, huic prospera stirpi
Vinaci diuina dedit clementia filo

Stemmata, mansuramq; domum, seriemq; nepotum,
Id sciat, imperij vario turbante tumultu
Tot veteres cecidisse domos qui viderit orae
Teutonidos. vel quae vicino limite nostros
Carpathium longè Viadrum demittit in amnes,
O quoties vicibus conuersa volubilis aevi
Marchia mutauit dominos, nunc gentis Anhalti
Boiugenas nunc passa duces, nunc tradita Mysis,
Marcomanum sceptris etiam subiecta remotis:
Donec ad extremum Zolleræ gloria gentis
Auspicijs Friderice tuis effulsit, & altos
Vt primum meritis scandis Septemuir honores,
Iam tum prælustres tantarum in culmina rerum,
Sufficis hinc Dominos, semper qui stemmata gentis
Semper virtutis decus, æquo Numine Diuum,
Auctaq; continuant proauitæ munera sortis
 Quid si nunc longi spatij currentibus aevi
Gesta virum memores referant præclara Camænae,
Et res euoluant alta caligine mersas,
Mæonij quod vatis opus, quæue altera surgat
Ilias heroum priscis decorata trophæis?
Nam neq; magnanimi somno, luxurue soluti
Delituere Ducis, sed claris rebus agendis
Quisq; suam studuere sequi pro tempore palmam.
Indicio est iam tunc Henrici castra secutus
Aucupis, & multa Regi virtute probatus,

Atq;

Atq; inter circi Barnimus equestris honorem
Fortibus immistus socijs, cum pectora nondum
Relligione sacra Christo devota dedisset.
Et virtute tamen tantum, meritisq; valebat,
In medio bonus vt procerum ludicra cieret
Prælia, Christicolūm non dedignante caterua.

Quid iam Suantiborum, veterum quid cætera dicā
Nomina? cum nobis exempla recentior ætas
Suggerat æterna dignissima laude referri?
Vel qualis, quantusq; fuit Bugslaus auorum
Tempore, qui meruit cognomine Magnus haberi,
Acer Achillæa patriam virtute labantem
Dum tenuit, dubio firmans ac tempore rexit,
Iustitia, belloq; potens, & vindice dextra.
Quid quales patriæ præstantia pectora natos
Progenuit? quis te tacitum Barnime relinquat?
Aurea tranquille qui secula pacis alebas
Per populos, cana mentem probitate decorus,
Testis ouans fidei, qua limina pandit Olympi
Christus, & ætherij dat iura capessere regni.
Ast æui breuior quamuis tibi meta, Georgi,
Contigit, & celeres ruperunt stamina Parcæ,
Quis tua non etiam memori clarissima fama
Nomina digna putet, cui mens excelsa probetur,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus?
Qui si nil clarum, nil dignum laudibus vnquam

4 4

Ipsè

*Ipse peregrisses propriae conamine dextrae,
Sufficeret natus generosa mente Philippus,
Per quem dulce patris posset clarescere nomen.
Donec enim celeri voluentur sidera cursu,
Donec & arctoo resonabunt Balthica flatu
Littora, flauentes Pomerania donec aristas
Nutriet, & gelidis faecundas piscibus undas,
Semper honos, semper laudes, & fama Philippi,
Et veneranda patris patriae monimenta manebunt.
Æmula cui Macedum si non sunt gesta triumphis,
Nec bello insanus tonuit, Martemq; cruentum
Exacuit multo populorum funere victor:
At Stygi fraudes & fæda idola tyranni,
Barbariaeq; nefas atq; hispida monstra fugauit
Ingenuasq; artes patriae, dulcesq; Camœnas
Restituit puro cum relligionis honore.
Ergò sub hoc pietas florebat Principe, templis
Lætus honos, stabatq; pijs tutela ministris,
Qui Christi laudes, & sacra oracla ferebant.
Vos quoq; Pierides, vos & sensistis alumni
Pieridum placidi mentem, dextramq; Philippi
Munificam, facilem doctis in præmia dextram.
Scilicet & multo venerans in honore ferebat
Ante alios, quorum præclara scientia pectus
Insigni studio, certa q; poliuerat arte.
Testis erit Gryphum veteri scbola condita sylua,*

Iam

Iam collapsa ferè, iam totos debilis artus,
Quam tamen in melius rediituo flore leuauit,
Iussit & vberius seculo sperare futuro.
Quid veneranda Themis, quid te sanctissima rerum
O Astræa canam? tu non mortalia temnens,
Læta sed ætherium Pomeranas ferre per oras
Hoc ductore caput, clauum regina tenebas
Aulai in solio, per & arua, per oppida passim
Iura dabas nulli manibus temeranda prophanis,
Quamuis ille ferox animis, opibusq; tumeret
Ipse adeò morum Dux integer, ipse benigni
More patris, largus meritis, nil fraudis auaræ
Debitor, è medijs poscebat fœnora terris.
Nec censu miseros ciues onerabat iniquo.
Sed certos fines ampli moderator honoris,
Fœlix sorte sua, fœlix pietate tenebat,
Et Cereris donis sat fortunatus opimæ.
Alma Pales, circum, syluas & rura colebat:
Et Pax nuda sinus, funestiq; inscia Martis,
Cura viri mitis, placidis ludebat in aruis.
Halcyonum partu, media velut æquora bruma
Tuta silent, timidis nec sunt imperuia nautis.
Omnibus accessu facilis clementia, sanctum
Pectus, & interior castæ moderatio vitæ,
Principis egregias augebant vndiq; laudes.

Tu quoq; Saxonidum fœlix de stirpe propago

B

In

In partem consors horum, curamq; bonorum
Venisti arcana cœli ratione, Philippi
Iuncta thoro, probitas vt par vtring; coiret,
Par animi concordis amor, par gratia morum.
Ergo tibi dignas quo texam carmine laudes?
Seu pater, & patruus, seu celso pectore frater,
Frater, cui raram tribuit constantia palmam,
Seu tua te pietas, & sancta modestia vitæ,
Et tot parta thoro generosæ pignora prolis
Lumine circumstant placido: tibi dicere laudes
Fas equidem, Mariamq; ferent te carmine Musæ,
Insignem Mariam te littora nostra sonabunt,
Vt decus, & nomen laudati dulce Philippi,
Dum virtutis bonos, dum stabit fama bonorum.

Quis dubitet? soboles heroum sanguine nasci
Clara solet, sequiturq; bonos natura parentes
Mitior in natis, & cura tenacior æqui.

Arduus vt sonipes, hinnitu complet acuto
Qui nemora, & montes graditur festinus in altos,
Transilit & cursu valles, & flumina & ranat,
Degenerem haud turpi fœtu propagat asellum,
Cui pes defidia tardus, cui languida crura,
Demissumq; caput, grauis aluus, inertia terga
Ergo Saxonidos Mariæ, diog; Philippi
Sanguine progenitus, virtutum semina primo
Iamdudum fœlix animi producis ab ortu:

Et

Et cum vitali tibi mens pulcherrima succo
Erneste ô Ludouice, tibi decus indolis altæ
Elucere noua cœpit cum luminis aura.

Nec minus ingenitum tibi disciplina vigorem
Firmauit sancto, confirmauitq; parentum
Consilio. solers cithara nam qualis eburna,
Amphytrioniadæ tenero, comes additus Orpheus,
Tradidit ingenuas pulchris cum moribus artes:
Qualiter aut Chiron Phthium formauit Achillem
Consilio Pelæi, memori quô pectore laudes
Heroum, & quæ sit, posset cognoscere, virtus:
Haud aliter natis genitoris cura Philippi
Prouida degendæ præcepta salubria vitæ,
Et Sophiam comitem primis coniunxit ab annis,
Præficiens virtute viros, & pectora cultis
Moribus insignes, ac Palladis arte magistra.
Præcipuè Christum iussit, sanctumq; doceri
Relligionis opus, sedes vt naçta paternas
Mens matura Ducum, supremi Numinis olim
Omnibus incœptis præferret ritè timorem,
Omniaq; ad sacrum sua cœpta referret honorem
Numinis, & casta sub relligione teneret
Concessas sceptri patriam moderantis habenas:
Corpora nec tantum, velut armentarius Afer,
Inter opes regeret fluxas, & pabula vitæ
Mortalis, subiecta piæ sed pectora plebis,

B z

Et

Et dulces animas, cœliq; è sede profectas,
In spes antiquas & ius ditionis Olympi
Erigeret, largo diuini munere verbi
Sufficiens alimenta, pijs vigor vnde perennis,
Et decus, & cœlo patriæ domus altera sedis.

Hoc erat, hoc flauis, Erneste, sub Albidos vndis
Leucorides Nymphas cur inclytus hospes adires.
Hic audita tibi pietas, hic arte potentum
Aurea dicta virum, memori quæ mente reposta
Multa manent, mirisq; animum splendoribus ornant,
Insignes lectæ velut Indo littore gemmæ,
Quas manus artificis tereti circumdedit auro.
Quid velut Aonidum tunc fœlix Gallia cultu
Perlustrata tibi, studijsq; in mollibus æui
Te procul à patria Musarum templa sequentem
Pro Viadro Rhodanus, pro Pano Matrona vidit
Celtica Belgarum dirimit qui finibus arua?
At decus, & pulchri mirantes hospitis ora,
Sydereosq; oculos, & lætæ frontis honorem,
Celtides arcanum traxere per ossa calorem.
Qualis in Æmonios defigens lumina vultus,
Hausit amans Colchis furtiuus pabula flammis
Sed non illa tuos tellus tibi debuit ignes,
Iuliacis quondam venturos sedibus ignes.
Tunc tantum tibi dulcis amor, virtute per artes
Ferre caput, patriæ quò tandem rector in oris

Commissos

Commissos populos æqua sub lege foueres.
Ergo his in studijs maturos acta sub annos,
Nunc, Erneste, tibi firmis virtutibus ætas
Induit excelsos circum præcordia sensus:
Et mens ipsa viget magnarum prouida rerum,
Iura voluntatis moderans, & quid sit agendum,
Consulta ratione, bonoq; examine pensans,
Imperiumq; tibi, sedemq; tenere paternam,
Vt fors alma dedit, placidi sic forma parentis
In te tota redit. pietas, clementia, robur
Pectoris excelsi, grauitas, prudentia rerum,
Et iam frugales meditans industria curas,
Iustitiæq; decus: Genitor quascunq; reliquit,
In Natum certant auidæ transcurrere laudes.
Neuè quid his decorum plenis tibi laudibus absit,
Te vultus pariter, te corporis ornat honestus
Et vigor & membris habilis modus, acer equestri
Cum volitas gyro, venatricemq; Dianam
Exerces, rapidiq; cies præludia Martis.
Quid, velut eloquium, præstanti principe dignum,
Par animi sensus, consultaq; pectoris æquat?
Et facilis cultæ tibi manat gratia linguæ
Suauè sonans, mollesq; vehens sermone lepôres.
Qualis Romani Catulus purissimus oris,
Aut solitus teretes Hortensius edere voces,
Æmula Cecropijs facundia cuius Athenis

Aureolum miti spargebat flumine nectar.

Ergo pij ciues optata sorte fruuntur,
Semper, vt ante, bono gaudentes principe, nec iam
Mutatas populus sub te cognoscit habenas.

Vt cum Typhis obit Pagasæa rector in Argo,

Succeßore bono solari fata magistri

Tuta ratis potuit, cursusq; tenere priores.

Saltem Rex superum nos æquo lumine Christus

Aspiciat, patriq; tegens hanc littoris oram,

Et pacem, & longos det cari Principis annos.

Ecce fauet votis, & iam placidissima nobis

Augurio lux orta bono, teq; inclyte Princeps,

Fatalis tædæ felicior excipit ignis.

Littora letitiam resonant, & plausibus amnes,

Amnesq;, syluæq; fremunt & florida rura,

Ipsæ arces, ipsæq; fremunt en plausibus vrbes

Et populi vox vna sonat: macte inclyte Princeps

Incipe iam faustum thalami cognoscere munus,

Et decus, & patrios thalamo stabilire penates.

Nec mora iam grauior lituis, atq; ære recuruo

Crebrescit strepitus, celeriq; immurmurat auræ

Machina terrificis imitata tonitrua bombis.

Pergamus: nunc lætus iò per mœnia Princeps,

Ernestus nunc pergit iò per mœnia Princeps,

Sponsus ouans animis, lectamq; ex ordine pubem,

Educit portis, & apertum tendit in æquor.

Quem

Quem portans, domini lætus sub pondere noto,
Arduus ingreditur sonipes, & spumea morsu
Frena terens, cristis ostroq; superbit & auro.
Talis erat, talem, Spartana per arua, ferebat
Cyllarus insigni radiantem Castora vultu:
Cum patrio ritu turmas agitaret equestres,
Virginibus præbens spectacula grata Lacænis,
Altior, ac iuvenes inter præstantior omnes.
Nec minor Ernestum patriæ spectare voluptas,
Ernestum ciues animis, atq; ore fauentes,
Ernestum lætæ matres, teneræq; puellæ
Luminibusq; pijs, votisq; sequuntur amicis.

Olli, per campos, patrijs comitatibus heros
Obuius ingenti socer infert pectora amore
Dux Brunsvigiades, & iam socia agmina iungit
Colloquio exceptus generi vultuq; benigno.
Tu quoq; purpurei flos ô noua sponsa decoris
Aurato inueheris iuxta pulcherrima curru.
Et matutini radians tibi syderis instar
Oris honos, rutili splendorem percutit auri,
Tecum dia parens animo vultuq; sereno
Hedwigis veneranda sedet, quam gaudia tangunt
Ante omnes decorisq; tui, sortisq; futuræ.
Iamq; tuos oculos aspectu vt concitus hausit,
Vt subito incaluit, roseumq; per ora ruborem
Sponsus, & ima procul dilapsam in pectore flammam

Flagrantes hausit succensus amore medullas.
Ac velut optatum magnes coniungere ferrum
Appetit, & socio propius coalescere nexu:
Haud aliter sponsus dilectæ virginis igne
Carpitur, & dulces animo voluentia curas
Coniugis aduentu speratæ gaudia gliscunt.
Ergo alacres pariter Volgasti ad mœnia tendunt,
Et repetunt lætis instructam cultibus aulam.
Ictibus æra fremunt, ær clangore tubarum.
Cornipedum duro tellus sonat incita pulsu
 Saluete illustres animæ: tu maxime primum
Heroum insigni clares qui nomine Iuli,
Heroum & pars magna augustum nominis omen,
Virtute & Patriam, meritisq; ingentibus imples,
Primus & Aonio deducens vertice Musas,
Artibus & Musis regali munera censu.
Attribuis, certis ac sedibas otia condis.
Quid, quod relligio te vindice surgit eodem?
Et reuocas purum Christi saluantis honorem
Væsanus remouens à verbi dogmate labes,
Vana superstitio quas presso lumine Veri
Intulerat, dum regna Baal Romanus haberet.
Sic pius Ezechias olim, qui mœnia rexit
Isacidum, celsæq; arces ac templa Syones,
Sacra infecta dolo, falsosq; aboleuit honores,
Reddidit & cultus Iouæ, quos ipse probaret

Lege

Lege sua, posuit diuinam ante omnia legem.
Hæc operum lux, hæc cunctorum norma sacrorum.
Scilicet & magnum Iouæ sic ille fauorem
Emeruit: magni defensus Numine Iouæ
Necquicquam Assyrio, stetit, insultante Tyranno,
Moenibus incolumis patrijs, & sospite templo.
Quid nunc eximios præclaræ stirpis honores,
Et genus omne tuum, veteres q; ab origine Guelphos
Enumerem, quorum Boios & Norica virtus
Oppida, Saxoniamq; armis & Marte frementem
Imperio rexit late, & ditione potenti?
Tu meritis longè laudes transgressus auitas
Ipse tui generis splendes noua gloria Iuli.
Et tibi perpetuæ contexent præmia famæ
Quas colis Aonio pollentes carmine Musas.
Nec tu nate minus tanti pia cura parentis,
Indole præstanti laudes, ac cœpta parentis
Prosequeris, studioq; viges pietatis eodem,
Par fauor Aonidum, par sacri gloria Phœbi,
Et par armisonæ spes ac tutela Mineruæ.
Ducis enim pulchrum Marti coniungere Musas.
Iamq; tuis insigne tenet schola Iulia sceptris
Nomen, & æternis id mandans sedula fastis,
Teq; tuiq; decus feret immortale parentis:
Sis felix, & nostra subi pede tecta secundo,
Atq; nouo caræ faueas in honore sororis.

C

Tu

Tu quoq; Marchiaca de stirpe ô regia neptis,
Sponsæ casta parens, iam dudum pleetra mereris
Pieridum, quas insigni Ioachimus amore
Ille tuus fouit genitor, dum vita manebat.
Et verò manet, & viuuit post funera virtus
Pacifici herois, quo non sapientior alter,
Nec vi Nestorea fandi præstantior alter,
Ductores magnos inter, sacrumq; Senatum
Imperij, dubijs suasisit tutissima rebus.
At tu Iuliaco decus heroina cubili
Magnanimi gaudes curas lenire mariti,
Et specimen nuptis castæ memorabile vitæ
Insigni probitate nites. tibi sortis in altæ
Culmine non fastus, sed sancti cura pudoris,
Mentis & innocuæ, studijs ac mitibus aptæ,
Vnde ferant miseri prædulce leuamen egentes.
Tum non vlla prior, quàm Christi oracla, voluptas
Discere, de Christo precibus pendere, fidemq;
Illius in gremio stabilem fundare salutis.

Omnia maternis equidem quæ nubilus hausit
Auspicijs, & casta tenet sub pectore virgo,
Ingenuos mores, sanctumq; edocta pudorem
Et pietate Deum colere, & seruare iugali
Fœdere, concordiq; fide reuerenter amorem
Eia ades ô generosa, piæ lux altera matris
Huc ades ô cari lux, & spes vnica Sponsi

Et

Et iam connubijs lætis te dede volentem
Quæ Deus atq; parens tibi fidus vterq; dicauit,
Et quæ florenti capies iucunda marito.

Dicite iò Hymnæe hymen, noua prodit ad aras
Sponsa: verecundi pavidam solantur Amores,
Illius & Charites fertis halantibus ornant
Mite caput, lætos oculis aspirat honores,
Gemmantem ceston succingens alma Venustas,
Flauentesq; comas fuluo circumligat auro,
Aurea dat niueo demissa monilia collo,
Et pictas auro tunicas, & diuite gemma.
At gemmis, & qui rutilo sit gratior auro,
Purpureum miscet candore per ora ruborem.

Dicite iò Hymnæe hymen, si gratia formæ
Aucta nitet fului pretiosis dotibus auri,
Et si forma decens gemmas commendat & aurum
Quid pietas formæ cum iuncta accedit & auro?
At pietas nostræ virtus & candida sponsæ
Iuncta nitet numeros implet quæ dotibus omnes,
O Erneste tibi fausto iam sydere nupta est.
Et Deus & superi gaudet chorus omnis Olympi
Alituum chorus, & sacras expromere laudes
Præcipiens, hac voce præit. Pax aurea nuptis,
Pax populis Pomerane tuis, & amica voluntas,
At laus ætherio sit semper honosq; parenti.

Dicite iò Hymnæe hymen, iam cuncta per aulam

C 2

Munera

Munera letitiæ promuntur, & ordine longo
Regales epulæ mensis genialibus adsunt.
Hic citharæ molles, & festo tibia cantu,
Personat & iucunda chelys, quæ carmina Phœbus,
Et genitus Phœbo-Linus admiratur & Orpheus
Tum placidè in numerum manibus per mutua nexis
Exercet Cytherea choros, tum ludicra Maior
Instaurat medio gaudens spectacula circo.
Luctatur nuda fortis gladiator arena:
Nocturniq; vagis volitant stridoribus ignes.
Ipsa polo faustis arident sydera flammis,
Ipsa fauent maria, & nantes colludere ponto
Nerèidum videas per cærulea regna cateruas
Dicite iô Hymenæe hymen, iam Diua per auras
Inuehitur Gryphum volucris Pomerania curru,
Turrigerum redimita caput flauente corona,
Qualem leta Ceres patrijs innectit arïstis.
In manibus fluitant procera carbasa malo
Auratis depicta coloribus. Oppida murosq;
Hic patriæ magnum Dea condidit argumentum,
Quæ iam marmoreo sponsæ delata cubili
Donat habere noui monimentum & pignus honoris.
Felicisq; thori partas tot munere terras,
Dotalesq; tibi populos commendat & vrbes,
O virgo præstans præstanti iuncta marito
Hic primum effulgens turritis Sundia pinnis

Surgit

Surgit opus Iaromare tuum, cui terna per auras
Culmina templorum sublimibus aërea tectis
Ærato ternæ consurgunt vertice turres.
Insignisq; foro nitet amplis curia tectis
Concilio subnixa patrum, qui legibus urbem
Iustitiæq; regunt, & religionis honorem
Pieriaq; fouent sacrata Lyceæ iuuentæ.
Urbs munita loco, portuq; accommoda nautis
Quam fossæ, liquidiq; lacus, fluctusq; marini,
Et circum denis incingunt mœnia portis.
Dimensæ stant arte viæ, cultuq; domorum
Ordine porrigitur longo, veterumq; parentum
Egregias ostentat opes, quas multa per æquor
Quæsiuit varijs solers industria curis.
Illam sæpe quidem duris fors inuida fatis
Et rapido Vulcanus atrox conterruit igni.
Verum terrisona velut ilex tonsa bipenni,
Restitit his inuicta malis, viresq; relegit
Altior vsq; suas, creuitq; aduersa ferendo.
At nunc ô potius sæuis intacta periculis
Floreat & sortem magis experiatur amicam
Pacis amans, dubij procul omni turbine Martis.
Nulla salus bello: pax nostris aurea terris,
Vnanimesq; Duces, populosq; & mœnia seruet.
Huic aduersa caput vicino littore tollit
Rugia nobilium genitrix animosa virorum,

C 3

Rugia

R

Rugia bellatrix quondam, cum regna teneret
Marte manuq̄ potens Odoacer, & inchyus armis,
Quà Tyberis pater, & celsæ Capitolia Romæ,
Et quà Celtarum Rhodanus perlabitur oras.
Hæc etiam fortem dedit excita Marte Critonem
Quem validæ gentes bello tremuere tonantem,
Et trepidum mæsto caput abdidit anne Trauenna.
Nec dum forte virûm genus, & præstantia bello
Pectora, telluris patriæ decus, edere cessat.
Quid, quàm pace solum diues sua munera fundit
Indigenis, & vicinæ per littora genti?
Præcipuè Sundij degunt qui mœnibus altis,
Semper inexhausto fœlices vberè glebas,
Horreaq̄ alma colunt atq̄ annua munera victu
Hinc sperant, pretioq̄ petunt, & amore parati:
Ceu Campana seges, Siculaeue opulentia terræ
Fertur Marticolæ quondam pauisse Quirites.
Hanc rexere Duces proprijs sub legibus olim,
Iidem, qui veteris tenuerunt mœnia Bardæ,
Reliquias Lombardæ tuas. nunc omnia tempus
Transtulit, & Dominis Pomeranis iure dicavit.
Sic Erneste tuis nunc Rugia paret habenis:
At Bardam, Campiq̄ domum Bugslaus optimam
Possidet, ac miti fruitur Dux optimus ævo,
Coniugio felix Claræ, teneroq̄ Philippo,
Quem mox in laudes docilem formabit auitas,

Si

*Si pia fata volent, vitæq; superstitis vsus.
Proxima subsequitur latis Grypsualdia campis,
Diffusosq; lacu, letisq; vligine riuus,
Prata per, & virides riuus tendentibus agros.
Hic populum cernas studijs frugalibus auctum,
Patricioq; viros celebres à nomine stirpis,
Qui procul Hesperios pelago scrutantur Iberos,
Et salis, & piperis gratissima dona reportant.
Tum latè pagis vicina per arua Senatus
Imperat, vt multo diues Respublica censu
Condat opes patrias, serosq; reponat in vsus.
Fama est, hanc quondam nauasse fideliter urbem
Egregiæ virtutis opem, tenerosq; tuendos
Suscepisse Duces, patriæ cum bella moueret
Acer Obotritum Mauors inuectus ab oris
Hinc decus, & tantæ virtutis præmia grati
Indulsere Duces, pietasq; experta periclis
Profuit in longum iam deinde nepotibus æuum,
Hac sedem nonus Varslaus in vrbe Camænis
Condidit, & Sophiæ qui pulchra reperta docerent,
Iussit adesse viros opibus, pretioq; vocatos.
At grauter lapsam vindex pietate Philippus
Extulit in melius, rediuiuaq; stamina doctæ
Contulit ipse scholæ venturi prouidus æui.
Tu quoq; tu curas Erneste imitate Parentis
Huic iam mite scholæ columen, largumq; fauorem*

Das

Das & grata pijs clementior otia Musis.
Mœnibus his portus, statio gratissima nautis,
Et iuxta aduerso supereminet Hildena portu,
Quæ tumulum ingentem, compositaq; Principis ossa,
Reliquias abau, monumentaq; seruat Eryci.
Hic gratum nemus, atq; locus venantibus aptus:
Dux Ernestus vbi prædam conquirere mensis
Sæpe solet, curas dum laxat, & otia fallit.
Et volucris præuectus equo frondentia rura
Auritos ruit in lepores, aut dente timendum
Sternit aprum septus telis, acriq; canum vi
Hinc tu piscosum ripis Anclamia Panum
Excipis, & pecori fœcundis commoda pratis,
Diues agri, facilem victu telluris & undæ
Opportuna tuis largiris ciuibus vsum.
Quos & fert Christo vitæ sub iura perennis
Relligio, placidis & mitia pectora Musis
Conciliant: atq; hæc prudenti multa Senatu
Cura sedet, pietas templis, quæ bina per urbem
Clara nitent, sacræ cœlesti dogmate vocis,
Atq; scholis artes possint vt ritè doceri,
Moribus vnde bonis adolescit candida virtus.
Ergò per ingenuos ciues rectiq; boniq;
Corda tenet pacatus amor: rebusq; parandis,
Quæsitisq; frui modus est, facilisq; voluntas
Hospitibus, lautis nec abest sua gratia tectis,

Et

Et passim egregijs decoratæ cultibus ædes:
Stant vallo munita etiam, fossisq; profundis
Mœnia, ne cedant hosti mox fracta superbo.

Nec procul inde sacros attollit Stolpa penates
Auspicijs, Bugslae, tuis quæ condita quondam,
Hic vt defuncti starent monimenta Parentis,
Qui primus Christi Pomeranas sacra per oras
Instituit, monitu sancti conuersus Othonis.

Ad fontem propius Pano consurgit eodem
Sedibus antiquis, fama; insigne Demynum,
Hic quondam magno belli flagrante tumultu
Illustres periere viri, hinc incensa cremavit
Tecta, deditq; vices alterni iniuria Martis.
(Tum neq; cultus erat, nec Christi cognita genti
Relligio) meliore Deus sed tempora fato
Lenyt, & quanquam sors sæpe aduersa, feroxq;
Vulcanus nocuit, tamen ingens mœnia ciues,
Et reparare domos tenuit labor: ipse labori
Successum, viresq; dedit Pater æquus ab alto.
Iamq; videre licet positis hinc sedibus vti,
Et genio, cultuq; loci gaudere decoros
Nobilitate viros, & auito stemmate claros.
Non absunt dulces Musæ, non aurea Christi
Relligio, riguis non cõpia fertilis agris.
Quoq; magis pingui superet locus vberè rerum,
Huc liquidis Tollensa vadis, huc Trebela lymphis

D

Vertit

Vertit iter, miscetq; tuis se Pane fluentis.
Hinc aut nata domo letos sua munera pascunt
Indigenas, aut si qua foris conquirere visum est,
Importare solent paruis per flumina vecti
Nauigijs, quæ sors & rerum postulat vsus.
In medio sedes Volgastum Principis alti
Splendida magnifico tollit fastigia cultu:
Qualiter Alcinous, Phæacum rector in oris,
Diues opum coluit regalibus atria tectis.
Heroum vultus hîc effigiesq; verendas,
Et veteres pugnas, naualiaq; extudit ære
Prælia, certatosq; Ducum populiq; labores,
Pro patria, dulci pro libertate nepotum.
Addidit & lætum pompæ præsentis honorem
Conuentusq; Ducum celebres, equitumq; frequentem
Expressit numerum, cultuq; habituq; decoro
Regales Nymphas: tum cærulea stagna secantem
Cornibus auratis leni sub gurgite Panum,
Naiadumq; choros, & ouantes littore toto
Veliuolas fecit colludere Diua carinas
At iuxta virides nemorum leuat Isthuma tractus,
Cingitur & tumido syluas ac littora fluctu.
Vndarumq; procul despectans murmura, saxo
Tuta manet, scopuloq; caput sustollit acuto.
Pudegale diues stagnis, prædaq; natantum

Squamis

Squamigerum, diues lustris, opibusq; Dianæ,
Venatu nemorum, præda, insidijsq; ferarum
Nec non irriguiq; lacus, & frondea Tempe
Trans Zuinam Eoum pascunt latus vberè læto.

Quis te prætereat latis Lassana fluentis,
Absorptum è vasto recipis quæ gurgite Panum,
Vtile vectigal patrias & mittis in oras?

Quid latus Hesperium culto quæ limite signant
Parua quidem, sed non inamœnis oppida terris
Grimaq; Tribesiumq; ferax, opulentaq; Læze
Prouentu Cereris, nemorumq; & diuitis vnda?
Nec te prisca domus Comitum Guz goa tacebo,
Quæ nunc mutata melius ditione teneris:
Et quæ lanificis nuribus gratissima lino
Tollensam Treptoa bibis, riuosq; salubres
Irriguos lætæ Cereris diducis in agros.

Tollensam viridi cingunt quoq; margine ripæ
Aspectu gratæ Nymphis fluminalibus arces.

Iam trans ingentes nigra formidine lucos
Liberiore solo viridantes explicat hortos
Fertile Pasualcum, succos cui tradidit igni
Ipsa Ceres coquere, & pingues distendere cellas
Nectare, quo nullum Pomerano rure coloni
Suauius Hyblæi sorbent de more liquoris,
Vcarus hic tenui riuo præter fluit annis,

Et leni incessu vicinam tendit ad arcem,
Mœnia parua petens, quâ prono gurgite fertur
Maiores ingressus aquas, atq; ostia pandit
Quæ nomen fecere loco, non mœnibus amplis,
Sed meruere fide clarum tamen vtraq; nomen
Oppida, dum cingi tolerant hostilibus armis,
Principibusq; suis duro discrimine adherent

Te quoq; Iasnitium nemorum nouere magistri,
Qui canibus, cinguntq; feros indagine saltus.
Quid memorem aut cultas arces, aut oppida circum
Hinc alia, aut letis vberima rura colonis?
Iamq; vocant Viadri nemeroso margine ripæ,
Et Viadri ripis, medijs quæ saltibus hærent
Mœnia Gryphagij, nostris qui terminus oris.

Inde patent arces, & cultis oppida terris,
Quæ præstans animi celsis virtutibus heros,
Ioannes Friderice, tuis moderaris habenis.
Vel decus hæc quantum, veteri quæ culta Sidino
Spumiferis Viadri consurgunt mœnia ripis.
Hic tibi præclaram dant ampla palatia sedem:
Hic arx de Viadri tibi nomine respicit annem
Læta suum, facilesq; trahit splendore Napæas,
Vt circum liquidis ludo oblectentur in vndis.
Sunt & templorum decora, & vestigia laudis
Prisca patres sancto fidei posuere magistro.

Hinc

*Hinc monimenta Ducum templo seruauit Othonis
 Fama memor, geminum cumulans pietatis honorem.
 Sed meliora loco renouans delubra reponit
 Iohannes Fridericus: auis quoq; iusta sepultis
 Reddidit in placidam loca sacrauitq; quietem.
 Quid, quæ Diuipara de Virgine templa dicauit
 Primus in augustum Christi Barnimus honorem?
 At templo maior quò laus & gloria Christi
 Doctrinæ studijs & sacra voce sonaret,
 Hic celebrem ianxere scholam, publiq; canoræ
 Hospitium fœlix sumptu statuere benigno,
 Nomine qui veterum decimus Barnimus auorum
 Floruit, & præstans pariter pietate Philippus.
 Nec non vrbis opes iuuat aspectare, domosq;
 Ciuibus egregijs dignas, quos & sua virtus,
 Et fortuna loci fato meliore beauit.
 Namq; iter in longum Viader dat nauibus æquor,
 Quà vel Danus agit, gelidam vel Suecus ad Arcton.
 Quid, qui cursus erat vicinas nuper ad oras?
 Marchia quâ circum piscosis adiacet vndis,
 Et quâ purpureos Silesia mitis ad ortus,
 Marcomanumq; patent, & flaua rura Bohemi,
 Et quâ vitiferos diues colit Austria colles.
 Quodq; sit ô faustum, quod tot simul vtile terris,
 Illa prior redeat iam nunc concordia rerum.
 Sic precor: & læuæ tandem post nubila sortis,*

Idem cursus erit subitò, & felicibus auris
Optatas augebit opes, augebit honores.
Inde lacu ingenti, lapidosoq; aggere Thamam
Insequitur denso latè sylua horrida tractu.
Ponè viris, opibusq; potens, & mœnibus altis
Erigit insigni longè Stargardia campo
Turrigerum caput, & vastis se molibus effert.
Hic bellator equus patrijs nutritur in aruis
Et bello egregij ciues, & fortibus armis,
Fida manus Ducibus, patriæ qui iura gubernant.
Sunt & pacis opes, Cerealiaq; arua coloni
Exercent multo cum fœnore messis opimæ.
Et letis armenta bouum pascuntur in herbis,
Lanigeræq; vagantur oues: it clamor ad auras
Balantum, Fauniq; gregem, Dryadesq; puellæ
Cantantes viridi gaudent compellere hibisco
Quid memorem vires, sacrataq; vincula legum?
Non alio sic iura loco: grauitasq; seueris
Iudicijs munita viget: non mitia quamuis
Pectora, nec placidi mores à ciuibus absunt.
Relligioq; illis colitur, doctasq; per artes
Imbuitur castè Musis operata iuuentus.
Dixeris hic Phœbum genio regnare beato:
Tot decora ingenij, tot protuit arte diserta
Lumina clara virûm Clariæ seges ampla cateruæ
Hic propè Colbitij sedes genialis amœno

Rure

Rure nitet, gratumq; nemus, notiꝰ recessus
Principis, urbanae strepitus cum deserit aulae.
Hic & Piritinum se pinguibus exerit aruis,
Primus ubi Christo cœtus pietate dicavit
Francus Otho, spargens diuini semina verbi.
At Viadri propius declives cessit ad undas,
Et Garce leporum condensis cincta vepretis
Desuper alta sedet prospectu Marchidos orae.

Parte alia regio syluestri consita luco
Et nemore, & fluuio descendit Colna sequaci:
Iulinumq; potens quondam, nunc signa ruinae
Exigua ingentis: tamen hic quoq; commoda restant
Iam sua, & ingenijs hinc quondam lumina nostri
Eluxere soli. sunt hic & Principis arces,
Piscofoꝝ lacus quaestu, nemorumq; voluptas
Inuitant animos, & curis otia miscent.

Emicat hinc sacra decoratum sede Caminum,
Et vada pontigradis sulcans Diuena carinis,
Littoreas inter nomen sibi vendicat vrbes.

Tu quoq; caeruleo quam Regus perluit amni,
Regus ad aequoreas dans cursum nauibus undas,
Moribus excultos nutris Treptouia ciues,
Templaq; sublimemq; insigni vertice turrim,
Priuatosq; foues decoris studiosa penates
Et decoris studiosa, & religionis, & almae
Iustitiae, Musis quoq; non aliena canoris.

Nec

Nec procul hinc Belbuga domus celeberrima quondam
Religione patrum, quamuis fuit error in illa
Sed Deus, & pietas noctem miserata profundam
Depulit, & procerum, consensu gentis & vno,
Auspicioq; Ducum, patriæ qui sceptrâ gerebant,
Hac Euangelij lux vrbe recepta serenum
Vndiq; diffudit Pomeranas lumen in oras.
Scilicet illa fuit dictæ de luce puellæ
Clara dies, signanda pijs candente lapillo,
Quæ lucem ætheriam, iucundum nominis omen
Munere Christe tuo nobis his reddidit oris,
Clarum Euangelij iubar, abstersitq; tenebras,
Quas Papa Ausonius decepto inuexerat orbi
Interiora tenent nemorosus collibus hærens
Gryphbergum, claramq; gerens Neogardia sedem
Magnanimi comitis, decorant quem cana Mineruæ
Munera, consilijsq; potens, & flumine fandi
Nestoreas Ludouicus opes sub pectore gestat.
Nec non Belgardum tellus natalis equorum,
Armentisq; bouum circum fœcunda renident
Pasca, nobiliumq; arces, ac tecta virorum.
Iamq; tuas Casimire domos, & Præsulis arces,
Ingredior, tibi stant sacratis inclyta tectis
Mœnia Colbergæ, fluuio Persantidos vndæ,
Et portu ditata maris, qui plurima ciui
Commoda, qui plenas ratibus vehit vndiq; merces.

Hic

Hic & fontis opes, sale qui fluit vber, & igni
Duratum humorem vicinas mittit in oras.
Sic decus, & paruum sors æquior extulit urbem
Et florere domos, ciues & fecit honestos
Diuitijs, animi virtute, & legibus æquis,
Nec pietas, & Musa suos non sentit honores.
Te quoq; formosis venerantur. dedita tectis
Mœnia Cæslini: tibi culto pectore ciues
Obsequioq; studet placidus seruire Senatus.
Nec non florenti Carlinum principe gaudet,
Venatrixq; domus Gulsouia: pulchraq; circum.
Nobilitas tibi mente fauet, studioq; fideli.

Vlterius me Stolpa vocat cognominis vndæ
Nomen habens, studijs doctorum Stolpa virorum,
Atq; equitum pariter generatrix Marte valentum.
Quamuis ampla minus, solido stant mœnia muro,
Et fossis munita suis, reparataq; muro
Post binas clades insignia tecta leuauit.
Vsq; adeo ciues labor atq; industria tollit.
Diuitis vber agri, simul & fluuialibus vndis
Profuit, in pelagus qui mittere Stolpa profundum
Dat validas naues, & pondere mercis onustas.
Ergo mari terraq; domiq; forisq; fruuntur
Mercatuciues, Musis, & fortibus armis,
Hinc Barnime tuis Dux inclyte sedibus adsum,
Et iuuat en læto per Rugia mœnia vultu

E

Ferre

Ferre oculos, liquido quæ tendens Vipera cursu
Verrit agros rutilus diues salmonibus amnis.
Ciuibus hic cultis locus, ingenijsq; ferendis
Commodus, & Musas & relligionis amorem
Sponte colunt, sed plus exemplum Principis ipsum
Proficit, & stimulat tua Dux clarissime virtus.
Tu vel si calidam velles habitare Syenen,
Seu legeres gelidas Riphæis cautibus arces:
Tecum irent Charites, tecum castissima sedem
Relligio, & Diuæ legerent Libethrides, & quæ
Virtutum veneranda parens, legumq; magistra,
Ense nitet fuluo, pariliq; Astræa bilance.
Hic etiam Bucoa domus celeberrima fama
Adiacet, antiquisq; virum decorata trophæis.
Nec nos Buttouium lupulosis præterit hortis,
Arcis & insigni culmen spectabile cultu.

Multa locis alijs se tollunt oppida circum,
Slagaq; de fluuiog; tenet quæ nomina Lebe.
Vltima quæ fluuio perfusa madescit eodem
Ad Codanum gelidos spectat Leoburga Borussos.

Omnia quæ mira facie depicta locorum
Postquam diuino sunt munere tradita sponsæ
Excelso veneranda Parens sc̄c incipit ore:
Has terras, seu quas partim tuus iste maritus
Iam patria virtute regit, seu pectore fratres
Magnanimo cepere pari quas sorte regendas,

Esse

Esse tuum noris iam nostro Numine munus.
Omnia nam Fratres studio communia nostro
Auspicioq; tenent, animi concordis amore.
Neue tuæ sortis sis nescia, tota benignas
Nostra tibi vario tellus vberima fructu
Fundet opes, & melle ferax, ceraq; liquenti,
Diues agris, fœtu Pomonæ diues, & hortis,
Et frugum Cereris nullos exhausta per annos.
Quid referam lætas pecudes, & molle butyrum,
Pascuaq;, & grauidas lignorum robore sylvas?
Flumina quid, riuosq; lacus, & maxima stagna
Vndiq; & accessu penetrabile nauibus æquor?
Ergò lanigerumq; genus, simasq; capellas
Rura dabunt: simul hîc niueis armenta iuuentis,
Et generosus equus nostris tibi suppetet oris.
At ceruos, capreasq; leues, aprosq; frementes
Auritosq; tibi lepores in retia mittent
Lustratæ canibus, cinctæq; indagine syluæ.
Vndarum varios feret ingens copia pisces,
Squamarum maculis, aspros & tergore percas,
Horrentemq; simul spinis melanuron acutis,
Alburnumq;, rubrisq; insignem guttura pinnis
Et virides tincas, & agentes lubrica terga
Anguillas, tostumq; focis stridentibus halec
Littoribus nostris tenuis solatia vulgi
Gobio nec crassi capitis, leuesq; lacerti

E 2.

Nec

Nec prasini desunt molles, & pinguis alosa,
Et multum sapidæ qui præstant carnis aselli,
Plurimus & serra dentati lucius oris.
Et cornu durus piscis, sed corpore læui
Mollior, & viridem reddit cui spina colorem:
Et soleæ, raiaeq;, & acutæ cuspidis iclu
Balena infestus Xiphias, & Sturio magna
Mole mouens solido clypeatum tegmine corpus.
Sunt & Delphines, vituliq; canesq; marini,
Et rigidi testis cancri, carabiq; minores.
Nec non & tenues merulae, turdiq; petendi
Apitijs, & dulce genus, gratumq; palato
Seu scintillantes maculis insignibus auro
Auratae, fundoûe gerunt qui nomen ab imo.
Quid te purpureo rutilantem viscere Salmo,
Murænasq; loquar, nostris felicia stagnis
Munera, delicias possint quæ pascere regum?
Succina quid passim medicas referentia vires,
Quæ vigiles legere manus in littore nostro?
Aspicias & certè, quæ lucida reddat imago
Oppida, quas cultis habitatas ciuibus vrbes.
Quid, quæ nobilitas, nostræ pulcherrima gentis
Nobilitas, cui dulce decus, cui mira voluptas
Artibus, ingenijs, pietate, & fortibus armis?
Vix tales Minyæ, socios quos fortis Iason
Legerat, vt munita suo se robore ferret,
E Tenderet

Tenderet & casus Argo sacrata per omnes:
Quales de nostræ proceres tibi sanguine gentis
Extulit illustrem virtus generosa per aulam
Tu modò perge tuam fidens agnoscere sortem
Atq; nouo gratare thoro, gratare marito,
Qui tibi iam facilem rebus præstabit amorem,
Et comitem, vitam, te complectetur, in omnem.

Finierat Dea, cum Diuam mox ritè parentem
Dona ferens patrijs sequitur gens omnis ab oris.
Vos primùm celso præstantes pectore fratres,
Quiq; Duces alij, magno vel nomine missi
Aduenere Ducum, læti sua munera promunt
Attalici opibus certantia diuite luxu.
Tum proceres, patriæq; subit lectissima gentis
Nobilitas, pulchramq; ferunt ex ordine gazam.
Nec minus egregijs huc missi ex Urbibus adsunt
Clari Oratores, & qui de more paterno
Consilij ciues, & sancto iure gubernant.
Crateras magnos statuunt, auroq; micantes
Imponunt pateras, & subdita pectora donis,
Mitis & obsequij promptum testantur honorem.
Iamq; satis pompæq; datum, ludog; diei.
Conticuere sacram plaususq;, iociq; per aulam.
Et medium bigis nox humida pulsat Olympum.
Emicuit polus, & cælo ter læua sereno
Fulgura concrepuere: boni quid id ominis esto.

E 3

Et

*Et iam regalem thalamo sua gaudia Nympham
Sponsus habet, dicamus iò solennia vota
Omnes ore vno, coniunctis mentibus omnes (mus.
Dulcis Hymen, Hymenæe Hymen, Hymenæe cana
Christe faue summi soboles æterna Parentis
Qui verus thalamis Hymenæus & autor honestis
Omnia casta tuo præsens sancisq; fouesq;
Numine. tu placidam nostro cum Principe Sponsam
Ipse pius defende, atq; hæc iam gaudia serua
Firma, precor. longi concordēs nexibus æui
Necte ambos, dulces peragant vt molliter annos
Et patriam læta florentem pace, secundis
Auspicijs, foueantq; tuo sub Numine fausto,
Vnanimes, pietate pares, & amore perenni.
Et genus antiquum reparent, & stemmata Gryphum
Aurea, formosamq; thoro sua pignora stirpem
Protinus aspiciant in auitas surgere laudes.*



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Regnum in labia eorum: qui quod mandatum

est illud **X** dicitur: quod in labia eorum



Regnum in labijs eorum: qui quod audit

est illud **X** **A**uribus eorum: qui in labijs eorum




51 $\frac{9}{4,16}$

X 198 6537

N. 1






LYCIDAS
EIDYLLION GENEALOGICVM.

ILLVSTRISSI-
MIS PRINCIPIBVS
DOMINO D. IVLIO PA-
TRI, ET DOMINO D. HENRICO IVLIO
filio, Ducibus Brunsvig. & Luneburg: etc. domi-
nis suis clementissimis, in publica festiuitate
nuptiali honoris & gratulationis er-
go conscriptum,

A IOHANNE SECCERVITIO
professore Gryphiswaldensi.



ROSTOCHII.
TYPIS AVGVSTINI
FERBERI.

Anno M. D. LXXVII.